

gotia habere, convivere, et hujusmodi, nec Excommunicati cum ipsis Fidelibus; cap. Sicut 16, cap. Excommunicatos 17, cap. Cum Excommunicato 18, c. Qui communicaverit 19, caus. 11, quest. 3, cap. Nuper 29, cap. Si aliquando 41, de Sentent. Excomm. (9. Sextus effectus est privare Excommunicationem communione Forensi, ita ut Excommunicatus nequeat esse Judex, Advocatus, Actor, Testis, et hujusmodi, neque in causis criminalibus, neque in civilibus. Ita de Judice habetur in cap. Ad probandum 24, de Sentent. et rejudicat. de aliis vero in cap. Decrevimus 8, de Sent. excomm. in 6. (10. Hoc tamen de excommunicatis vitandis, et non toleratis solummodo est intelligendum, ut ex communi notat Avila part. 2, cap. 6, disp. 7, dub. 1, concl. 2, dub. 3 et 4. (11. Nihil vero obstat quominus Excommunicatus in causis tum civilibus, tum criminalibus tamquam reus conveniri possit, ne ex propria malitia commodum reportet; c. Intelleximus 7, de Jud. (12. Et consequenter omnia ea agere, aut etiam petere potest, quæ ad sui legitimam defensionem necessaria sunt; c. Cum inter 5, de Exceptionibus. (13. Septimus effectus est privare Excommunicatum saltem vitandum omni jurisdictione Ecclesiastica: ita ut omnia ejus acta invalida sint; arg. cap. Audivimus 4, caus. 24, q. 1, cap. Ad probandum 24, de Sentent. et rejudicata. (14. Unde Excommunicatus non potest alium excommunicare; cit. cap. Audivimus. (15. Neque conferre Beneficia, cap. unic. Ne Sede vacante in 6. (16. Neque eligere; arg. cap. Cum dilectus 8, de Consuetudine et cap. Cum inter 16, de Election. ubi declaratur, electionem factam a suspensis invalidam esse; omnis autem Excommunicatus ab Officio et jurisdictione suspensus est. (17. Excipitur autem electio Summi Pontificis, quæ ob nullam Cardinalium Excommunicationem, suspensionem, vel interdictum infirmari potest. Clement. Ne Romani § Ceterum, de Elect. (18. Octavus effectus est privare Excommunicatum distributionibus quotidianis; arg. cap. unic. de Clericis non residentibus in 6, et Concil. Trid. sess. 24, c. 2, de Reform. (19. Nonus effectus est reddere Excommunicatum incapacem, et inhabilem ad Dignitates, et Beneficia, et omnia Ecclesiastica officia obtinenda; c. Postulasti 7, de Clerico excomm. ministrant. (20. Decimus effectus est reddere Excommunicatum incapacem, et impotentem ad obtinendum aliquod Rescriptum sive gratiæ, sive justitiæ a Sede Apostolica, taliter quod impetratum ipso jure sit nullum, nisi in ipsa causa Excommunicationis, vel Appellationis ad Excommunicati defensionem impetretur; cap. Dilectus 26, de Rescriptis, et c. Ipso jure 1, de Rescrip. in 6. (21. Undecimus effectus est reddere excommunicatum suspectum de Hæresi, si per annum in excommunicatione insorduerit, textu expresso in Conc. Trid. sess. 23, c. 3, de Reform. in fine, ibi: « Sed si obdurato animo censuris annexus in illis per annum insorduerit, etiam contra eum, tamquam de hæresi suspectum, procedi possit. » (22.

Et si nullum impedimentum alleget, seque purgare recusat, potest condemnari ut Hæreticus; cap. Cum contumacia 7, de Hæreticis. (23. Duodecimus effectus est reddere Excommunicatos omnes communicantes extra casus a jure concessos cum Excommunicato vitando, seu non tolerato. (24. Cum hac tamen distinctione, quod communicantes cum Excommunicato in crimine criminoso, scilicet cooperando crimini, et contumaciæ, ratione cujus est lata Excommunicatio, incurrunt Excommunicationem majorem, eo quod facientes, et consentientes per pœnas constringat; cap. Nuper 29, et cap. Quod in dubio 30, de Sent. excomm. Communicantes autem in rebus Sacris, aut politicis incurrunt solummodo Excommunicationem minorem; cap. Illa quotidiana 39, de Election. cap. Nuper 29, de Sent. excomm. et c. Statuimus 3, de Sent. excomm. in 6. (25. Cum hac vero advertentia, quod communicando notabiliter in Sacris, et Divinis saltem publice celebratis peccant mortaliter, communicando autem in solis politicis, venialiter. Navarrus in Manual. cap. 17, 29, Reiffenstuel lib. 3 Decretal. tit. 39, n. 148. cum communi. (26. Effectus Excommunicationis minoris sunt tres, unus proximus, per se, et directus, et alii duo remoti, indirecti, et de consequenti. (27. Primus, et directus effectus est, quod Excommunicatus Excommunicatione minori nullum licite possit recipere Sacramentum, et si aliquod recipiat, graviter peccet; cap. Si celebrat 10, de Clerico excomm. ministrant. ibi: « Si celebrat, minori excommunicatione ligatus, licet graviter peccet, » etc. (28. Secundus, et indirectus, seu remotus effectus est, quod si sine necessitatis ratione Sacramenta ministrat, peccet saltem venialiter; cit. cap. Si celebrat, ibi: « Peccat autem conferendo Ecclesiastica Sacramenta: sed ab eo collata virtutis non caret effectu, cum non videatur a collatione, sed a participatione Sacramentorum (qui in sola consistit perceptione) remotus. » (29. Tertius, et alter effectus indirectus, remotus, et de consequenti est, quod Excommunicatus minori Excommunicatione non debet eligi ad Beneficium Ecclesiasticum, sed electio infirmata sit; cit. c. Si celebrat, ibi: « Si tamen scienter talis electus fuerit, ejus electio est irritanda pro eo, quod ad susceptionem eorum eligitur, a quorum perceptione a Sanctis Patribus est privatus, » ubi vides, quod Decretalis ipsa reddit clarum rationem, quia cum Beneficium Ecclesiasticum suapte institutione, ordinetur ad Sacros Ordines suscipiendos, vel Missam celebrandam, etc. a quibus minori Excommunicatione ligatus repellitur, venit de consequenti repellendus etiam a Beneficiis Ecclesiasticis, « pro eo, quod ad susceptionem eorum eligitur, a quorum perceptione a Sanctis Patribus est privatus. »

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(30. Bona, quibus privatur excommunicatus, ab Auctore in hoc Art. at opportunius

hic afferuntur. Ea denotantur vulgatissimo hoc versiculo.

Si pro delictis Anathema quis efficiatur,
Os, orare, vale, communio, mensa negatur.

(31. Oris nomine non solum osculum, sed etiam colloquium indigitatur, ut ne quidem per literas, nuncium, signa, aut nutum cum eo agi debeat. (32. Per $\tau\theta$ orare prohibetur omne commercium sacrum cum Excommunicato. (33. Voce vale omnis honorifica salutatio designatur, quæ Excommunicato adeo deneganda, ut ne quidem caput aperire, neque assurgere, neque via decedere, neque ullum aliud honoris, aut reverentiæ signum exhibere Excommunicato liceat. (34. Mensa communis porro esse nequit cum Excommunicato, multo minus ergo communi lecto aut habitatione cum Excommunicato utendum. (35. Denique Communio prohibetur, qua appellatione omne commercium civile designatur, ut nullum negotium civile vel humanum cum eo suscipere liceat.

(36. Patet hinc, statum Excommunicatorum civilem nullum esse, eosque fere pro Capite minutis, seu iis qui mediam Capitis diminutionem passi sunt, habendos. Quod ut apertius liqueat, libet per aliquot effectus civiles fusissime ab aliis explicatos in compendio ire.

(37. I. « Excommunicatus neque accusare, neque agere potest. » Opponi propterea Accusatori potest exceptio excommunicationis: ut ne quidem hæc elidatur per replicationem, quod reus communicaverit cum Excommunicato Auctore, (38. quia hæc communicatio tantum minorem excommunicationem operatur, atque non a foro sed a Sacramentorum participatione removet; c. 2. 8. de Except. (39. Tametsi autem agere nequeat, conveniri potest, ne videatur de sua malitia commodum reportare; cap. 7. de Judic. (40. Opponitur potest exceptio hæc excommunicationis in qualibet parte iudicii; cap. 12. de Except. (41. Necessè tamen est, ut excipiens de Excommunicatione speciem ejus exprimat, ac intra spatium octo dierum ipsam probet; alioquin ea non obstante Judex procedere potest, quia compertum fuit sæpe per malitiam hanc exceptionem opponi; cap. 1. de Except. in 6. (42. Neque hoc solum pertinet ad Ecclesiastica judicia; Sæcularis quoque Judex per Censuram Ecclesiasticam compellendus, ut Excommunicatos ab agendo repellat; cap. 8. de Sentent. Excomm. in 6.

(43. II. « Excommunicatus nec pro aliis ullo modo in foro comparere potest. » Quod attinet ad jus postulandi, expresse decrevit Alexander IV. in dict. c. 8. de Sentent. Excomm. in 6. ne Judices sæculares excommunicatos ad patrocinandum admittant, sive partes Actoris, sive rei tueantur. (44. Valida tamen acta sunt, licet admissus fuerit Excommunicatus ad patrocinandum. (45. Pariter nec procurator esse potest Excommunicatus; cap. 7. de Judiciis. (46. Sed et valida esse ab eo gesta, si neque a Parte, neque a Judice repulsus sit, docent communiter Canonistæ. (47. Nec potest Notarius

excommunicatus munus suum exercere in iudicio, quod quandiu hoc vinculo ligatus est, interim nullam fidem civilem mereatur. Denique nec testimonium ferre excommunicatus potest; dict. cap. 8. de Sentent. Excomm. in 6.

III. « Excommunicatus ad officia publica non est admittendus, nec admissus munus suum exercere potest. » (48. Cautum est in c. 24. de sentent. et Re judicat. sententiam latam fore nullam, « si unus ex delegatis vinculo excommunicationis publicæ innodatus fuerit. » (49. Publica tamen denunciatio desideratur, quod evidentius postea, et generaliter constitutum est in decretali Martini V. Ad evitanda scandala.

IV. « Magistratui Excommunicato non amplius parendum. » (50. Movet vero Giballinus quæstionem hanc: « An vassalli, et subditi communicare possint cum Domino excommunicato? » (51. Et posse autumat in iis omnibus, quæ ad homagium et debitam subjectionem spectant ex regula generali. Quum enim vi censuræ Principes et alii Domini neque dignitatem, neque dominium, neque jurisdictionem amittant, tenebuntur vassalli et subditi ea omnia præstare Domino excommunicato vitando, quæ ante excommunicationem debebant. Quandoquidem enim manet idem jus in Domino, et obligatio in subdito, illa omnino implenda est, et si nequeat impleri absque communicatione, communicandum erit; atque ita solvenda tributa et alia debita in jure subjectionis, etiamsi in propria persona exhiberi debeant, ut sunt homagia quædam personalia. Si enim Privatus non amittit rerum suarum dominium per excommunicationem, neque ejus prætextu potest spoliari bonorum suorum possessione a Domino; quo jure ipse Dominus ratione solius censuræ suis Juribus, dominiis, debitis, ac bonis spoliabitur a subditis, fidelitatem, obedientiam, tributa, aliaque obsequia ad quæ præstanda ratione subjectionis tenentur denegantibus, quando manet eadem subjectio post excommunicationem, quæ ante illam erat? »

(52. V. Et ut alios effectus civiles præteream, « Infamia juris notatur excommunicatus; » Cap. 17. cap. 6. quæst. 1. (53. Sunt vero qui arbitrantur, infamiam hanc tantum esse Canonicam, non Civilem; nisi inflicta fuerit Excommunicato propter crimen, quod jus Civile infamia notat.

ARTICULUS VII.

Excommunicatio quoad ejus absolutionem.

(1. Ab Excommunicationibus a Jure latis, et nemini reservatis absolvere possunt, nendum Episcopi, et alii Prælati jurisdictionem habentes, sed pro Foro interno etiam Parochi, et simplices Confessarii, ut ex cap. Nuper 29. vers. in secundo casu, de Sentent. excomm. deducunt Barbosa sup. num. 12. et 13. Fagnan. num. 16. et 19. Pirhing. in Jus Canon. lib. 5. tit. 39. numer. 41. Anaclet. lib. 5. tit. 39. num. 146. et plurimi alii. (2. Ab Excommunicationibus a Jure latis, et

Papæ reservatis (exceptis contentis in Bulla Cœnæ, et aliis sex casibus intra Italiam, et extra Urbem de mandato Clementis VIII reservatis) possunt absolvere etiam Confessarii Regulares, ut constat ex privilegio Pauli III. Constit. incip. *Cum inter cunctas*, emanata 3 Junii 1545, Patribus Societatis Jesu concesso, in quo communicant omnes alii Regulares.

(3. Ab Excommunicationibus ab homine latis per sententiam specialem, potest absolvere solus ille, qui eas tulit, vel ejus Delegatus; cap. *Pastoralis* 11. § *Præterea de Offic. Ordinarii*, c. *Quærentis* 16. de *Offic. Delegati*. (4. Vel ejus successor; cap. *Si Episcopus caus.* 11. *quest.* 3. pro quo venit etiam Capitulo Sede vacante; cap. *unic. de majoritat. et obedient.* in 6. (5. Vel Superior Censurantis plenam jurisdictionem in illum habens, ut Papa respectu omnium, Generalis respectu Superiorum totius Ordinis, Provincialis respectu Superiorum suæ Provinciæ. (6. Non sic autem Archiepiscopus respectu suorum suffraganeorum, nisi ad eum appelletur, quia Archiepiscopus non habet hanc jurisdictionem absolvendi a Censura, quam in proprium subditum tulit Episcopus suffraganeus, nisi ad eum a sententia censuræ appelletur, ut colligitur ex cap. *Nullus Primas* 7. *caus.* 9. qu. 3. et ex cap. *Pastoralis* 11. de *offic. Ordinarii*. (7. Nec etiam Legatus Sedis Apostolicæ, qui licet aliquo modo Superior sit Episcopi, non tamen in ordine ad causam subditorum, nisi ad ipsum sit appellatum, ut deducitur ex *Concil. Trident. sess.* 24. *capit.* 20. de *Reform.* Barbosa ibi, et alii.

(8. Ab Excommunicationibus ab homine latis per sententiam generalem sine ulla reservatione absolvere possunt Episcopi, et alii Prælati jurisdictionem habentes, et per Forum conscientie etiam Parochi, et alii Confessarii approbati, ex cap. *Nuper* 29. vers. in secundo casu de *sentent. Excomm.* (9. Si autem Auctor illius in ipsa generali sententia ejus absolutionem sibi reservavit, nemo ab illa absolvere potest præter ipsum Reservantem, vel ejus Successorem, vel Delegatum ab eo, vel Superiorem ipsius, ut dictum est num. præcedenti. (10. Ab Excommunicatione minori a Jure lata absolvere potest in Foro interno proprius Parochus, et omnis Confessarius approbatus, ex cap. *Nuper de sentent. Excomm.* quia, ut ibi habetur, Conditor Canonis ejus absolutionem sibi specialiter non retinuit, ita deducunt Nicol. in *flosc. verb. Excomm.* numer. 9. Sayr. de *Censur.* lib. 2. *capit.* 23. num. 11. Anaclet. lib. 5. tit. 39. § 5. n. 158. et alii plurimi.

(11. Excommunicationis absolutio dari potest nedum intra Confessionem, sed etiam extra Confessionem Sacramentalem, etiam absentis, et etiam invito; Pirhing in *jus Canon.* l. 5. tit. 39. n. 164. Anaclet. lib. 5. *Decret.* tit. 39. § 8. n. 267. Pax Jordan. *elucubr.* lib. 14. tit. 2, n. 180. et multi alii passim. (12. Immo etiam mortuus absolvi potest ab eo, a quo poterat absolvi vivus, si

ante obitum signa pœnitentiæ dedit, non directe, quia non est amplius homo super terram, sed ad hoc ut sit capax Ecclesiasticæ sepulturæ, et suffragiorum Ecclesiæ, ex cap. *A nobis* 28. de *sententia Excommunicationis*.

(13. Excommunicationis absolutio variis modis dari potest. Primo *absolute*, ut cum ab habente plenam jurisdictionem quis absolvitur, nulla adjecta conditione. (14. Secundo *conditionate*, ut cum quis absolvitur tantum sub conditione, v. g. absolvo te, si hoc, vel illud feceris. (15. Tertio *ad cautelam*, uti solet præmitti ante absolutionem Sacramentalem, et ante electionem, vel collationem Beneficii, vel Ordinis ad vitandam nullitatem, ex cap. *Venerabilis* 52. de *Sentent. excomm.* (16. Quarto *cum reincidentia*, ita ut si absolutus intra certum tempus, hoc, aut illud non fecerit, reincidat in Excommunicationem; elapso enim termino præfixo, statim ipso Jure reincidit in ipsam, ut declaravit *Sacr. Congreg. Immunitat. in Baren.* 19 *Decembris* 1643. (17. Sic pariter absolutus propter mortis periculum, vel aliud legitimum impedimentum cum onere, quod cessante tali periculo, vel impedimento se præsentet Superiori, non ut iterum ab eo absolvatur, cum jam plene absolutus sit, sed ut pareat, et satisfaciatur; cap. *De cetero*, etc. *Quamvis de sentent. Excomm.* Si cessante tali periculo, et impedimento, cum commode potest, non se præsentet Superiori, reincidit in Excommunicationem ipso jure, ex c. *Eos, qui* 22. de *sentent. Excomm.* in 6. (18. Quinto ad certum dumtaxat effectum v. g. ut Excommunicatus possit in judicio examinari, vel testimonium ferre, vel alium actum sibi alias prohibitum exercere, quo tamen casu Excommunicatus non ab ipsa Excommunicatione, sed ab aliquo ipsius effectu dumtaxat liberari censetur, ut cum aliis advertit Pirhing lib. 5. in *jus Canon. de sentent. Excommunicat.* numer. 165.

(19. Absolutionis formæ variæ etiam esse possunt. Si quis auctoritate propria Excommunicatum absolvat, poterit hac uti forma: *Absolvo te a vinculo Excommunicationis, quod incurristi, propter hoc, vel illud crimen, et restituo te Sacramentis Eccl. et fidelium commun. In nomine Patris*, etc. (20. Si vero absolvat auctoritate delegata, poterit uti ista: *Auctoritate Omnipotentis Dei, et SS. Apostolorum Petri, et Pauli SS. D. N. Papæ N. vel Eminentiss. vel Illustriss. Nostri N. N. in hac parte tibi concessa, et mihi commissa, absolvo te a vinculo Excommunicationis, quod incurristi propter tale vel tale crimen, et restituo te Sacramentis Ecclesiæ, et communioni Fidelium: in nomine Patris*, etc.

(21. Si autem Excommunicatio non sit certa, sed dubia, uti poterit ista: *Dominus noster Jesus Christus te absolvat, et ego auctoritate ipsius te absolvo a vinculo Excommunicationis, quod incurristi, ob tale crimen, et restituo te*, etc. (22. In casu autem quod absolutio detur publice, et solemniter, præmitti solet aliquis psalmus pœnitentialis cum quibusdam versiculis et orationibus in Ri-

tuali præscriptis, ex c. *A nolis* 28. de *sentent. Excomm.*

(23. Nemo debet absolvi a majori excommunicatione, sive pro Foro interno, sive pro externo, nisi prius juramento promittat de parendo mandatis Ecclesiæ, vel absolutionis, et de non committendo in posterum hujusmodi delicta; cap. *Ex tenore* 10. cap. *Ad hoc* 12. de *sentent. Excomm.* (24. Et etiam nisi satisfecerit parti læsæ saltem per transactionem ob damnum, vel injuriam, ratione cujus fuit Excommunicatus; c. *Solet de sentent. Excomm.* in 6, vel si hoc statim fieri nequit, sufficiens cautio per pignora, vel fidejussionem præstetur, vel si nec ista ob inopiam, vel aliam causam fieri potest, præstetur, per juramentum, quia nemo ad impossibile obligari potest, ut tenet Pirhing. in *jus Canon.* lib. 5, tit. 39, n. 163. Anaclet. lib. 5 *Decret.* tit. 39, § 8, num. 168, et alii passim. (25. Si autem ita absolutus postea satisfacere negligat, non reincidit in priorem Excommunicationem, sed poterit iterum a Judice excommunicari; cap. *Ad reprimendam de Offic. Ord.* (26. Absolvens autem ante præstitum juramentum de parendo mandatis Ecclesiæ, vel ante præstitam satisfactionem parti læsæ, illicite quidem absolvit, sed valide, quia hæc non pertinet ad substantiam absolutionis; c. *Venerabilibus* 7, § *Sane in fine, de sent. Excomm.* in 6..

NOTA ROMANI THEOLOGI.

Nedum illicita, sed et invalida est absolutio ante præstitam satisfactionem parti læsæ, et juramentum interpositum de parendo Ecclesiæ mandatis, si absolutio sit de iis criminibus, quæ in Bulla Cœnæ indicantur. Etenim in § *Cæterum* prædictæ Bullæ præcipitur, ut nullus talibus detentus criminibus, nisi cautione præstita absolvatur, atque adeo facultas absolvendi eum sub ea tantum conditione sit concessa, nulla omnino esse censetur, nisi eadem conditio posita fuerit ut multorum fert sententia Theologorum, teste Lacroisio lib. 7, num. 167, pag. 592, Editionis Coloniensis.

RESPONSIO AUCTORIS.

Dicit hic *Rom. Theologus*, quod nedum est illicita, sed et invalida absolutio ante præstitam satisfactionem parti læsæ, et juramentum interpositum de parendo Ecclesiæ mandatis. Et tamen mea conclusio est ipsissima ad litteram tradita a doctiss. Monacel. *Formular. legal. practic. Fori Ecclesiastici*, part. 3, edition. Roman. an. 1709, pag. 15, num. 77. Videatur ibi, et citat. *Venerabilibus* 7, § *Sane in fine, de Sentent. excomm.* in 6.

(27. Absolutio extorta metu gravi injuste in eum finem incusso, est invalida; c. *De iis quæ vi*, in 6.

(28. A quibuscumque censuris excommunicationis, suspensionis, et interdicti, etiam contentis in Bulla Cœnæ Domini absolvere potest Major Pœnitentiarius, Regulares quidem in utroque foro, reliquos vero in foro conscientie tantum: quamquam et illos potest absolvere in utroque foro a censuris pu-

blicis latis a jure, Apostolicæ Sedi reservatis, et etiam nominatim declaratis, vel latis nominatim ab homine, si expiraverit jurisdictionis delegati, a quo late fuerunt, vel quando proprios Judices adire rei non possunt. Obligandi sunt tamen rei isti, ut satisfaciant parti, alioquin reincidunt in eandem censuram. Si vero hæc satisfactio a parte recusetur, tunc Major Pœnitentiarius illi præscribat hanc satisfactionem, qua a parte recusata, nihil ultra agendum est. *Benedict. XIV, Const. incip. Pastor bonus*, Bullar. tom. 1, n. 95, § 7.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(29. Ut in hac absolutionis materia recte procedatur, distinguenda est excommunicatio lata *ab Homine* ab Excommunicatione lata *a jure*. Ab excommunicatione lata *ab homine*, ut recte monet Auctor, is regulariter absolvere potest, qui eam tulit. Idem dic de Successore, et sede vacante Capitulo, quia non ipsa singularis, et individua Persona Excommunicantis attendenda est, sed ipsum Officium, seu dignitas, vi cujus auctoritas ferendi Censuras competit illi, qui censuram tulit. Superior quoque absolvere potest, si ad eum sit appellatum propter jurisdictionem acquisitam ex appellatione. Summus vero Pontifex ob summam in Ecclesia potestatem etiam citra appellationem valet absolvere. De disciplina vero tum antiqua, tum recenti de absolutione a Superiore imperianda, consule Vanespen. *jur. Eccles. univers.* part. 3, tit. 11. cap. 11, § 1, et plur. seq.

(30. De Excommunicato a suo Episcopo, an absolvi possit ab Episcopo novi domicilii quæri solet? Obtinuit distinctio, ut Excommunicatus per sententiam generalem sui Episcopi possit absolvi, non item Excommunicatus per sententiam specialem ejusdem; Confer Zoel. in *Decretal.* lib. 5, tit. 39, n. 161. Suarez de *Censur.* disp. 7, sect. 21, n. 26. Eademque distinctio secundum mox laudatos Auctores recepta est, si Excommunicatus a suo Episcopo fiat Religiosus, ut scilicet excommunicatus per sententiam generalem absolvi queat a Superiore ipsius Religiosi, nequaquam vero Excommunicatus per specialem sententiam.

(31. Disputatur et de eo, an post interpositam appellationem absolvere valeat Judex a quo? Affirmant inter alios Vames. in cap. 17, fere pertot. de *Appellat.* Suarez de *Censur.* disput. 7, sect. 2, num. 31, et seq.

(32. Gravior est quæstio, an ab Excommunicatione a Jure in Literis Apostolicis comminata absolvere queat Judex, qui sententiam declaratoriam pronunciavit? Dubium inde oritur, quod Judex hic non videtur proprie excommunicasse, adeoque haud valeat absolvere. At affirmativam sententiam, modo in ipsis Literis Apostolicis excommunicatio non sit Papæ reservata, tenuit Rota in Alerien. Parochialis 10 Jan. 1746, § 7, cor. Reverendiss. P. D. Bussio Decan. et 1 Julii ejusdem ann. 1747, § 1, cor. Illustris. Caprar. Alm. Urb. Gubernatori.

(33. Hæc de absoluteione ab excommunicatione lata ab homine. Quoad vero excommunicationem a Jure latam, hæc Regula communiter statuitur; « Si Pontifex, aut Conditor Canonis, ejus absoluteionem specialiter non reservaverit, absolvi unusquisque poterit a proprio Episcopo; immo et a proprio Sacerdote: » Cap. *Nuper de Sentent. Excomm.*

Nomine Episcopi, observante Suar. de *Censur.* disp. 5. sect. 3. intelligitur Episcopus proprie Excommunicati; item qui in Episcopalem jurisdictionem succedit. Vagabundos vero absolvere potest Episcopus Loci, in quo actu habitant; Zoel. in *Decretal.* lib. 5. tit. 39. num. 164.

(34. Nomine proprii Sacerdotis, notante eodem Auctore ubi supra, venit proprius Parochus Excommunicati. Et ratione vero mox citatæ decretalis venit quilibet Presbyter habens auctoritatem absolvendi, approbatus scilicet a suo Ordinario tamquam Minister Sacramenti Pœnitentiæ a peccatis mortalibus, præsertim quia, ut monet laudatus Auctor d. disp. 7. sect. 4, quatenus munus illud exercent Presbyteri, subeunt vices, et munus proprii Parochi. De absoluteione ad cautelam vide Vanespen. *Juris Eccles. univ.* part. 3. tit. 11. c. 11. § 16 et plur. seq.

ARTICULUS VIII.

Absoluteio pro Foro conscientie an prodesse possit etiam pro Foro externo?

(1. Absolutus in Foro interno ab Excommunicatione, si non fuerit nominatim Excommunicatus, non tenetur se gerere in Foro externo tamquam Excommunicatus, præsertim si constet ita esse absolutum, quia illa absoluteio valet ad omnia, præterquam in judicio, ubi lis movetur; Lessius in Auctor. v. *Absolut.* cas. 8. Krimer. num. 1848. Claudius la Croix lib. 7. de *Censuris*, num. 154. et alii passim. (2. Absolutus in Foro conscientie ab Excommunicatione occulta, potest in Foro externo etiam publice habere omnem communionem in divinis, et politicis, Missam publice celebrare, et alia hujusmodi. (3. Si vero Excommunicatio, a qua fuit in Foro tantum interno absolutus, sit notoria et publica, poterit tantum in occulto celebrare, et alia per Excommunicationem prohibita agere, si absit omne scandalum; ad evitandum enim scandalum, si ejus Excommunicatio fuerit notoria, quandiu de legitima ejus absoluteione publice non constat, debet se gerere in Foro externo tamquam Excommunicatus, et se publice abstinere ab omnibus, quæ Excommunicatis interduntur; Layman. lib. 1. tract. 5. p. 1. c. 7. n. 7. Avila de *Censur.* p. 2. cap. 7. disp. 3. dub. 12. Navarr. lib. 2. cons. ultim. de *Judic.* n. 7. Reiffenstuel. in *Jus canon.* lib. 5. Decret. tit. 29. § 8. num. 247 et 248. Claudius, Henriquez, et alii.

(4. Absolutus in foro conscientie tantum, si ejus crimen deferatur ad Judicem, licet non indigeat nova absoluteione, potest tamen adhuc urgeri a Judice, qui potest contra

eum procedere, donec etiam in foro externo absoluteionem obtineat, plures declaravit Sac. Congr. per sequentia, et similia verba: « Non prohibetur Episcopus, vel alius Superior, affigere Cedulones, et punire Excommunicatum, licet fuerit in Foro conscientie absolutus, vel cum Brevi Sacræ Pœnitentiariæ, vel cum Bulla Cruciatæ, aut Jubilæi, vel in vim cap. *Liceat*, sess. 24. Concil. Trident. vel alio quocunque modo, quia isti duo Fori sunt separati, et actum in uno, non adfert præjudicium in altero. Potest tamen Judex Ecclesiasticus absoluteionem in Foro conscientie datam, etiam pro Foro exteriori ratam habere, nisi hoc redundet in præjudicium partis. » In Compsana 14 Junii 1591. et in Oppiden. 8 Jan. 1621. et in Milet. 30 Sept. 1622.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(5. Distinctio in subjecta materia recepta, hæc est. Si in Bulla Jubilæi, vel alia quavis absolute detur facultas absolvendi a censuris, valet absoluteio in utroque Foro. (6. Sin autem facultas hæc detur, prout dari ut plurimum solet, in *Foro conscientie regulariter*, non prodest pro Foro exteriori. (7. Dico *regulariter*, nam si quis ob debitum, seu damnum, injuriam, vel contumaciam manifestam, fuerit a Judice excommunicatus, et nominatim declaratus seu denunciatus, et satisfacta Parte absolvatur a Confessario vi Bullæ Jubilæi, vel similis, censetur absolutus etiam in Foro exteriori, ut tenent quam plures Doctores relati a Bossio de *Jubilæo* sect. 1. cas. 25. per tot. (8. qui sententiam hanc probat quibusdam declarationibus S. Pii V. et Gregorii XIII. (9. Quomodo vero constare debeat de satisfactione Patris, tum de absoluteione tradit idem Auctor dict. sect. 1. seq. cas. 26.

ARTICULUS IX.

Excommunicati quinam vitandi sint? in quibus, et qualiter vitari debeant?

(1. Jure antiquo omnes Excommunicati erant vitandi, cum hac differentia, quod illi, quorum Excommunicatio erat publice nota, publice etiam erant vitandi, et illi quorum Excommunicatio erat occulta, occulte etiam et privatim tantum erant vitandi ab iis, qui eam Excommunicationem notam habebant, uti patet ex cap. *Cum non ab homine* 14 de *Sent. excomm.* (2. Jure novo post Concilium Constantiense celebratum circa annum 1414, et confirmatum a Martino V, sunt solum vitandi, qui sunt specialiter Excommunicati, et nominatim quoad personam a Judice Ecclesiastico publice sunt denunciati, vel sunt notorii percussores Clerici, et per hoc Excommunicationi Canonis *Si quis suadente diabolo*, etc. subjecti, ut clare patet ex Constit. ipsius Martini V, incipien. *Ad vitanda animarum pericula*, etc. (3. Nec officit quod per Concilium Basileense, quod est posterius Constantiensi, et Martino V, præcipiantur vitari non solum notorii Clericorum percussores, sed etiam quicumque alii

Excommunicati; quia dictum Concilium Basileense ab Eugenio IV fuit revocatum, nec a Sede Apostolica fuit confirmatum, exceptis paucis quibusdam Constitutionibus a Nicolao V. receptis, intra quas non est ea de *evitandis Excommunicatis*. (4. Ultra quam quod consuetudine (quæ est optima Legum interpretis, et per se ipsam sufficiens ad legem innovandam) introductum est, ut in dies experimur, ut hæretici notorii, alique Excommunicati non evitentur, nisi vel nominatim sint denunciati, vel sint notorii percussores Clericorum, et sic, si in hoc valuisset Concilium Basileense, jam ei derogatum fuisset per consuetudinem contrariam legitime præscriptam, ut deducitur ex cap. *fin. de Consuetudine*.

(5. Percussor Clerici tunc dicitur taliter notorius, ut debeat vitari, quando ejus crimen adeo notorie constat, ut non possit aliqua tergiversatione celari, nec aliquo juris suffragio excusari, ut statuit Pontifex in cit. Bulla *Ad vitanda*. (6. Sic talis percussor esset vitandus, si per proprium visum, per confessionem rei, per plurium testimonium seu per publicam et constantem famam ita esset notoria percussio, ut nulla tergiversatione posse celari, et ejus malitia excusari. (7. Quod si talis percussio esset occulta, vel percussor posset se defendere, et excusare, quod percussio facta sit causa defensionis, vel ex vehementi passione iræ, in motu primo primi, vel ex joco, aut inadvertentia, vel nesciendo esse Clericum, tunc talis Clerici percussor non esset vitandus, ut clare deducitur ex verbis ipsius Bullæ: « Sine aliquo Juris suffragio accusari possit. »

(8. Casus vero, in quibus vitari debent taliter Excommunicati, reducuntur specialiter ad quinque deductos ex c. *Excommunicatos* 17. caus. 11. quæst. 3. ubi habetur: « Nullus cum Excommunicatis in oratione, aut cibo, et potu, aut osculo communicet, aut Ave eis dicat, quia quicumque in his, vel aliis prohibitis scienter Excommunicatis communicaverit juxta Apostolorum institutionem, et ipse simili Excommunicationi subjacebit; et omnes in hoc vulgato carmine comprehenduntur: »

Os, Orare, Vale, Communio, Mensa negatur.

(9. Per ly *Os* intelligitur prohibitus discursus cum Excommunicato, etiamsi fiat per litteras, nutus, internuntium, aut alia signa; sic enim prohibentur oscula, amplexus, et alia hujusmodi signa amicitie, nec non receptio munerum. (10. Per ly *Orare* intelligitur prohibita omnis communicatio in saceris, et orationibus, non enim licet cum Excommunicatis orare, interesse processio-

(1) Si excommunicatus vitandus Ecclesiam ingrediatur dum divina celebrantur officia, monendus est ut abeat. Abire nolens vi compelli potest, modo tamen sic fieri possit, ut nullum grave incommodum, vel scandalum emergat. Tunc enim satius est ut interruptis officiis Populus omnis aufugiat. Veteris Ecclesiæ usum, et praxim fuisse ut excommunicati non expellerentur ab Ecclesia, nisi tempore offertorii, Auctor est Cabassutius in *Theoria*, et

nibus, Missis, et aliis divinis Officiis, nec Missam coram ipsis celebrare. Immo dato quod Excommunicatus vitandus ingrederetur Ecclesiam Missam auditurus, deberet moneri ut exiret, et si nominatim monitus nollet exire, novam Excommunicationem Papæ reservatam incurreret; Clem. 11. de *Sentent. excomm.* et posset per vim expelli. Si vero ratione suæ præpotentiæ nequiret ab Ecclesia expelli, tunc essent omittenda divina Officia, et ipsa Missa, si Sacerdos nondum pervenisset ad Canonem, vel ut alii volunt ad Consecrationem, tunc enim deberet prosequi usque ad sumptionem, ac Sacrificium maneret incompletum, et facta sumptione Calicis, deberet discedere, et reliqua in Sacristia peragere, vel omittere, si talis locus non adesset. Omnes adstantes autem deberent in tali casu statim ab Ecclesia exire, excepto Ministro Altaris, aliter peccarent participando in Divinis cum Excommunicato vitando, et Excommunicationem saltem minorem incurrerent. (1) (11. Per ly *Vale* interdicitur omnis honorifica, et amica salutatio, verbis, signis, gestu, et manus tactu facta. (12. Per ly *Communio* prohibetur omnis societas cum Excommunicatis vitandis in habitatione, contractibus, judiciis, laboribus, aliisque exercitiis. (13. Per ly *Mensa* prohibetur communicatio in cibo, potuque, non enim licet manducare, et bibere cum Excommunicatis vitandis, etiamsi reperiantur in eodem Collegio, Monasterio et Domo.

(14. Qui in aliquo ex supradictis casibus absque rationabili excusante causa communicat cum excommunicato vitando, peccat, et incurrit Excommunicationem minorem, ex cap. *Excommunicatos* 17. caus. 11. q. 3. (15. Etsi communicet cum ipso cooperando contumaciæ, et crimini, propter quod fuit nominatim Excommunicatus, dando ei auxilium, consilium, aut favorem, præter peccatum mortale, incurrit in Excommunicationem majorem, quia facientem, et consentientem par pena constringit; c. *Nuper* 29. et cap. *Quod in dub.* 30. de *Sentent. excomm.* (16. Communicans cum Excommunicato nominatim a Papa, ac publice denunciato, si est Clericus, incurrit Excommunicationem majorem, si est Laicus solum Excommunicationem minorem, ex cap. *Significavit* 18. de *Sent. Excommunicat.* et ex cap. *Excommunicatos* 17. caus. 11. quæst. 3.

(17. Cause rationabiles, ob quas licet communicare cum Excommunicatis vitandis, deducuntur ex c. *Quoniam multos* 113. caus. 11, q. 3. et comprehenduntur in hoc vulgato versiculo:

Utile, Lex, Humile, Res ignorata, Necessè.

praxi juris Canonici lib. 5, c. 41, n. 5. Eo ergo tempore si excommunicatus exire detrectet, nec vi compelli queat, Missa inchoata abrupta est. Quod si Canon esset inceptus, solo manente Ministro debet eam Sacerdos prosequi usque ad Communionem inclusive, et reliqua in Sacristia perficere. Videatur Antoine *Tract. de Censuris* cap. 2. (NOTA ROMANI THEOLOGI.)